Adamus Nicolaus

...rovinciae Soc. Jesu Vastior orbe cinis

VASTIOR ORBE CINIS,

In Achille Lechiæ:

CELSISSIMO, EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. ADAMO NICOLAO

de GRANOW

SIENIAWSKI

in Szkłow & Mysz Comite:

CRACOVIENSI CASTELLANO,

SUPREMO REGNI EXERCITUUM DUCE,

LEOPOLIENSI CAPITANEO:

inter perennes lacrymas

Reverendo in Christo Patri Carolo Lanicki Collegii Apostolici Rectori dignissimo offert servus in Christo A.D.L.

CELSISSIMÆ EXCELLENTISSIMÆ CONSORTIS, ELISABETHÆ de LUBOMIRIIS SIENIAWSKA

interq; reliquorum superstitis sanguinis Hæredum, perennes luctus:

IN CORDE CIVIUM REGNIQUE AMORIBUS

DEPOSITUS.

Deducente funus Polonâ Soc: JESU Provinciâ:

Annô

Domini Exercituũ mortalitatem induti MDCCXXVI

L E O P O L I

Typis Collegij Societatis J E S U.

AD ULTIMOS MAGNI SANGUINIS HÆREDES.

ILLUSTRISSIMUM, EXCELLENTISSIMUM DOMINUM,

PALATINUM POLOCENSEM,

EXERCITUUM M.D.L. CAMPI DUCEM:

ILLUSTRISSIMAM, EXCELLENTISSIMAM P A L A T I N A M

SUPREMI DUCIS

ut unicam ſic ſummæ Virtutis Filiam.

TAm arduum doloris campum ingreſſi ſumus, ut ſinè Vobis DUCES JLLUSTRISSIMI, cum noſtris lacrymis non pugnemus. Ite, Bellatoris ſangvinis Hæredes, in ſuppetias amori, cum Progenitoris

 magni

Magni funeribus luctanti: nisi se Vobis superstitibûs mærores publici levaverint; non citra discrimina cum perennaturis singultibus confligunt. Habet nimirum in Vobis, quô se ut mæsta Polonia evincat, sic nostra lacryma soletur. Vivæ defuncti Ducis magniq; Progenitoris estis icones: ut se in Vobis multa imagine, ad irritamenta animorum depingit dolor, sic omnis ad illecebras oculorum Paternæ Virtutis color colligit: qui ex Vestra fronte, se in nostra solatia transcribat: adeò, ut cum totum ploremus, nondum totum Ducem Illustrissimum putemus obiisse, qui pro Majestate sanguinis fœderati, Vestrâ utriusq; facie respirat. In Te PALATINE Generq; supremi Ducis Illustrissime, illâ fronte se Paterna gloria colorat, quam ut primæ Curules accipiant, sic ad terrorem hostium, bellatores campi postulent, ut laureis inumbrent. Tota Tibi ut in promerenda

do Parentis Illuſtriſſimi amore, ſic in Poloniæ integritate, pro more Progenitoris Celſiſſimi conſervanda defluxit Vita: ut communes utriq; eſſent laureæ: utriq; cõmunis boni publici cura, quia ſingularis bellica fortitudo, & utriq; Virtus non abſimilis. Unus fueras, qui & pectus Ducis Illuſtriſſimi mereri poteras, & ſanguinem; quia unus, qui, ut Paternarum dotum æmulam frontem, ſic manum ceu eandẽ ad victrices laureas: ſic clavam, ſic animũ ad ſtrenuè ineunda prælia haberes. Rapiebant Te ſibi Regni negotia: ut Auguſti Sereniſſimi amores, ſic trabeæ, ſic Curules, ſic bellicæ arenæ, ſic periclitantis Poloniæ præripiebant curæ. Omnibus pro ſtrenuitate animi, pro inconcuſſæ fortitudinis gloria ſuffeciſti: quò ut Ducis magni ſtudiũ in Rempublicam, ſic in rebus arduis componẽdis ſolertiam æquares. Mareſchalli ſcipionem olim, Sandomirienſi fædere collecta

Respublica, & ceu sceptrum, quô, bono publico annueres, Tibi Dux Invictissime obtrusit. Regni faciem, Senatûsq; Poloni frontem, an Vice-Regiam Majestatem ad Brunsvicensem tractatum in Te transtulit. Tot prælia, quot intra Regni viscera mortes viderat, commisit. Omnia quippe ultra Herculis lacertum, nihil ultra Te; quòd singula, in tam vasto periculorũ cãpo, & undiq; multis vulneribus patente, ut ad Tui Nominis gloriam, sic ad Regni Poloni emolumentũ obiveris. Immortales superis gratiæ, quod Heroum Nomini, Herois Filia, Illustrissima SOPHIA SIENIAVIA *in consortem venerit: istud, ad Tuæ gloriæ culmen desiderabatur, ut in unica, omne decus Celsissimæ domûs interciperes. At fidem Numinum! quæ in una, ad luctus nostri solatium, Paternarum dotum cõpendia! Ac si ad Pandoræ vultum omnis Deorum color, sic ad Filiæ Celsissimæ frontem; ùt omnis Ho-*

nor

nor, ſic Ducis Parentis ſanctimonia defluxit. In Te Nobis ad lacrymarum tẽperamentũ, ultima Cæli Patritii Phœbe, Srzeniavæ Illuſtriſſimi grande altum, transfuſi ſideribus ſanguinis coronamentũ, ingens SUPREMI DUCIS FILIA & DUCIS CONIUNX *Celſiſſima, Magni Progenitoris imaginem, Fortuna clementior reliquit. Quanquam nihil in mores admiſiſti, quod ad coloratã tantùm, fucoq; Virtutum frontem illitam, orbis viderit: omnia ad Celſiſsimi Progenitoris faciem: dignam profectò quam Parrhaſius Honor, aut liliîs pro mentis candore, aut roſîs pro verecundiæ Majeſtate depinxerit ab Aris. Tuam Regiam pulſamus. Æquè Auguſtale eſt Honoris, ac Virtutis palatium: ubi pietati permiſtæ Muſæ, eò religiosiùs coluntur, quò ſtudiosiùs amantur. Et ideo non plures in Pyrrhi annulo adorantur, quàm in Te gemmâ; non ſublimiores in Parnaſſo, quàm in Tuo*

vertice: quas ut celsiores efficias, omni demissione instruis, & ideo attollis. Sed quid agimus? ita confuso solatiorū nostrorum ordine in diversa calamus prorumpit? sic luctu occupata facundia, in Vestras, Duces mæstissimi, deflectit laudes? Non eò nos impellit impetus dolendi: tumulum mæstis pectoribus, pro fatiscentium Regnorum sensu, recludit ad funera: aut lugenti calamo, Vestra atria aperit ad solatia. Ergo limen Vestrum Mecænates Illustrissimi subintrat pagina, in sinū Ducem, depositura lacrymas. Admittite folium, ut Progenitoris Vestri virtutibûs, sic nostrîs doloribûs grave. Hôc se Vobis Magni Ducis merita transcribunt, hôc Curules, hôc laureæ: hôc minimæ Societatis vota adnotant, ut ad Regni decora immortales vivatis.

Ita vovet

perenniter Vobis devincta

Polona Societatis JESU Provincia

ORbem habes pro tumulo Magne Cinis! & non tam in saxo conderis, quàm in luctu publico, & in lacrymis. Ingens equidem id, unóque tantùm Te Viró minus monumentum est. At ut pro sanguinis dignitate nobile, pro titulorum Majestate basilicum, pro rectefactorum Magnitudine augustum: ita pro grandibus Votis Patriæ funestum: pro Regni amoribus ferale; pro gregatim erumpentiũ dolorum singultibus angustum! An enim unũ funus, hoc in funere ploratur? Nunquam ingẽtium siderum solitarii sunt occasus: neque quod in AstroPrincipe effertur funus, in unius Cæli fatum desinit. Novit se nimirum pro jacturæ magnitudine partiri dolor: & conjunctione quadam exitûs funesti, tantum serpere per immensa, ut eò acerbiùs sæviat in omnes, quò luctuosiùs: (qui omnium amor est:) valuit in unum. Quid liberas pro fatorum licentiâ mortes *Doloris amplitudo, ingentis iactura Viri.*

 di-

dicimus? concatenatæ in iſtud funus defluunt, & quantùmvis in unius fati nodum, immenſitatem funerum adſtringant, non amant compendia doloris. Ducem efferunt tumulandum? magno fatiſcentium Regnorum exercitu tumulis illabuntur: acſi Cælum Lunæ, Atlante lacerto excuſſerint, labente uno, plura ſidera præcipitant in urnam! ac ſi Neptunum mille oſtiis circumfuſum, per oculi procellas exciverint ab undis, in multorum naufragia exundant! Nunquã ſe ſcilicet, ſi magnorum ſint mortes, in unum vultum colligunt, ſed ceû Proteum imitentur Lacheſes trabeatæ, frontem multiplicant ad funus: atq; pro tabulâ doloris, per tot ſe pericula depingunt, per quotquot trabeas, pro titulorum frequentiâ: per quotquot Regnorum pectora, pro copiâ amoris Sanctiſſimi, Viros integerrimos, viderint diviſos. Porro nunquam infæcundus eſt magnus dolor; tanta fertilitate cũ lacrymis luctus ſeminat, ut in ſterili etiam hac glebâ, unum funus aliô accreſcat, unum fatum aliô naſcatur: & una mors feraciſſima ſit Parens plurium. Permittitis Regni lacrymis exciti gemitus, ut *Ducis Illuſtriſſimi*, Poloni Orbis pectoribus inſepultos cineres attollam? ut per amores Populi diviſos Manes Illuſtriſſimos, excitem ab urnis? nihil non ad Fortunæ Lechicæ damnum multiplex, nihil non ad emorientis ſanguinis Illuſtriſſimi injurias perennes; nihil non ad Orbis diſpendia ploramus! Tam copioſo fu-

nere

nere uni funeri parentamus, ut ſe tot Lacheſes iſtis cineribus involvant, quot populi mærores, quot fatiſcentes inter lacrymas Curules, quot Regna dolentia inferant ſepulchro! Quid enim? Patrem Patriæ in Toga, pallentes trabeæ: Gradivum Sarmatiæ in ſago, areſcentes Laureæ! Lechicæ Libertatis Aſſertorem acerrimum, jura Regni plorantia: lugentes Curiæ, Senatorem Poloniæ: Caſtra, Ducem: Mecænatem Aræ: egeſtatis vindicē, Pupillorum lacrymæ ſequuntur; palamq́ eſt, in unius Animæ jacturâ, Orbis Lechici Fortunam exſpirare: Polonæ felicitatis funera efferri: unâq́ hac arenâ, inter digladiantes, cum publicis amoribus mærores, Caſtra dignitatum occumbere in Viro! Aſſurgite Gigantes tituli, per immenſa lacrymarum profluvia ituri! & pluſquam Herculeo lacerto, Honorum injurias à cineribus efferte! Veſtri funeris Cataſtrophe apparatur: & cinis mille ſæculis plorandus, ducitur in uno! Hoc ſarcophago Regni decora conduntur: hoc feretro ſpes Patriæ efferuntur: hac unâ urnâ ſortes Poloniæ cōcluduntur! et ut pro contractæ calamitatis hiſtoria ſit narratio, hâc intempeſtâ, nigrâq́ pro mæroris coloribus nocte, *Avita Illuſtriſſimorum Sieniaviorum ſidera,* & quoſquos mortalitate exuta, *Manes* Illuſtriſſimos, in fulgentes Lunas, in nitentes ſtellas, Gentem nimirum ſidereā, DivumPopulum, Rempublicam beatam, immortalitas admiſit, luctuoſiſſimè exſpirant! Quid enim

nim in lugubri hac pompa, non ad Cæli quoq; Patritii, Astrorumq; Aboriginum deliquium perenne? Per illa hic affinium Principum itur dispendia: per illa Illustris, & nisi per Regnorũ Murices, per venas Principum bullientis sanguinis damna, ut in unius Phæbi Ducis, ferali exitu, tota serenitas funestetur: & ceû omne Avitæ Lunæ Cælum occidat! Tantum scilicet avaras lucis, & magnis splendoribus parcere indoctas sortimur Parcas, ut cæca quantumvis sint Numina, istud tamen invideant Serenum! Tam famelicas, nostriq; mali ardoribus flagrantes Lacheses experimur, ut cùm omne pretium, plusquàm in Antonii gemma, in Achate Duce sorbuerint, ultimum sanguinis Purpurei littus sitiant! Sentitisne tam cruenta naufragia, immensa Domûs compendia, defluentis ab orbe Illustrissimi sanguinis reliquiæ, viva *Ducis Illustrissimi* funerum, simulacra, periclitantes inter Cordiũ procellas, & penè in Conforte *Celsissima, in FILIA Generoquè* Illustrissimis, Ducum animæ fatiscentes? Hoc æstu dolorum arescitis superstites spes Familiæ! Hoc Oceano aviti Srzeniavæ Illustrissimi amnes defluitis in Luctus! hoc Vos littus intercipit: hic scopulus vitæ ebibit: hi Cineres absorbent! Illo quippe se hic theatro fatum instruit, ut scenam vitæ per multorum funera concludat: & ceû sympathicos Cineres tumulis induceret, non priùs Epilogum definiat dolorum, quàm se, in amantium pectora penetrando,

trando, mortem inchoet, per superstitis sanguinis deliquia finiendam! Ast state extra favillas funerum, ex voto Calami perennatura Virtutis Patritiæ decora: ad luctus Poloni Solatia! ad lacrymas Vos admisimus non ad tumulum. Sat multum est funeris in uno. Nondum totum, utpotè per Regnorum pectora divisum, lugubri hoc theatrô proposuimus, & Orbem arctat! An enim Pigmæi circulo se Ducis Illustrissimi dotes circumscripserint? quibus etiam Olympo brevis urna est: aut se brevi palmo Adami Illustrissimi merita definiverint, quæ grandi Purpurarum filô ad Nominis Majestatem suprema est dignitas emensa? Eadem inter favillas, breviscꝫ urnæ compendia, Invictissimi Martis Poloniæ mensura, quæ Achillis hastæ, aut gladii Alexandri: qui, cùm unum orbem impleverint, quærunt alium extra, Orbem. Non minor hoc tumulo prospectat quàm vixerat. Illa immensitate funeris in urnam defluit, quâ Nominis amplitudine, quâ dignitatum Majestate, quâ dotum magnitudine, quâ Nobilitate sanguinis fulgebat. Grandis est etiam in Viri vestigio: & ceû Herculeus Cinis in pulvere ferali, acsi Olympi vertex. Dux & Senator Illustrissimus pro Regni amoribus perennis: pro sui sanguinis dolore immortalis: pro tituli Virtutiscꝫ amplitudine immensus, pro sorte mortalium cinis, corde Regnorum vastior & orbe.

Defluite jam in tumulum confusi luctus,

& vel justi doloris magnitudinem per fatorum injurias recensete: vel æquore lacrymâ ploratis Cineris Majestatem, ex alti Generis occasu metimini. Habet suam etiam in ferali umbra hæc dies lucem: & dispersus quantùmvis per urnam Cinis, illam molem, quam, si Atlas honor dimiserit, vel orbem obruit, vel premit. Neq; enī pro mensura Viri hominem accludimus sepulchro, quem pro virtutis heroicæ magnitudine ceu fastigium Poloniæ ploramus! Ea ingentium est indoles ut magni cadant, & veluti eodem fato, quo soles occidunt laberentur, extra orbem protendunt radium etiam languentem. Nescit nimirum immensa Virtus Pumilionis lineam, etiam dum in puncto est ac ignis quem lauru immortali per aras alit Pietas, vel flamma quæ etiam dum subsidere videtur, in grande incendium erumpit. Illa hìc nocte Illustrissimi *Sieniaviorum* Cæli sidera exstingvuntur, ut suam diem ad illum meridiem attolant, qui Parentes Phæbos, Lunas Matres, & quaquà luce sanguinis trabeatus Honor fulserat, tanta decorum amplitudine inferat sepulchro, quantum in stellis nepotibus, Duceq; sole Cælum fuerat. Illo cumulo plusquam Gigas cinis tumulis infertur, quô Olympum & Acroceraunia referat, quibus exiit. Illo margine Augustus trabeatæ Familiæ sanguis, cum vita defluit ad Lethen, ut suæ dignitatis altum, & sublimis Generis profundum revehat ad littus. Permittitisne defuncti Du-

cis

cis Illustrissimi tumulô progeniti luctus, ut ad sepulchri gloriam, Domûs Illustrissimæ Cunæ veniant? Indulgetis? ut longævi quantùmvis, Cælo conterminæ stirpis tituli, ad irritamentum trabearum iterum vagiant in ostro? Nihil in Te Dux Maxime non ingens, etiam quod infans parvumq; est. Nihil non ad Regni amplissimi faciem, etiam quod se in primam Familiæ nascentis lineam, primamq; Domûs Illustrissimæ frontem porrigit. Ea Prosapiæ Tuæ sublimitas, quæ Colossi solis: ea lux vitæ, quæ Cæli; quam Princeps serenitas, aut pro diei Purpureæ splendoribus ad ortum postulet, aut pro Nominis claritudine ad altissimum meridiem deducat. Primo statim Sole permissum est *Sieniavius* ludere cum Astris, & ceras Nobiles, vel stellarum luce accendere vel Lunis, quòd jam illud serenũ habuerint in ortu, quod vix in auge Soles Purpurei dedissent. In Duce & Comite *Spithimiro* à Rheno Hospes Familia in Poloniam defluxit: id est, omne illud gloriæ implevit altum, quô aut Phæbi enatant ad Coronas, aut Viri quæruntur ad Regna. Neq; intra unum hoc littus Sanguinis Illustrissimi, stare potuit primus latex, quin se plusquam heptifluo amne, ut in orbem deduxisset sic refudisset in trabeas. Gnesnam, id est in nidum aquilarum debuit delabi; quòd illum jam titulorum meridiem, illum virtutis radium, vel prima Lunæ Avitæ serenitas habuisset, quem non unus Ales Lechicus sitiisset. *Domûs Celsissimæ Origo*

Domus Celsissima in multas divisa.

Et jam condere Regnum poterat Gens, per Conitum in *Tarnow*, in *Melsztyn* Ducum, Principum in *Rabsztyn Spytkonum* Rempublicam divisa, nisi plus tituli esset, Regnum in una Familia adorari, quàm unam Familiam dividi per Regnum: & illius Posteritatis Ducem sanguinem fuisse, quæ cùm tot Regna Domi concluderet, quot Viros: non plura tamen pro integerrima Virtute vellet imperia in Polonia, quàm unum. At nulla suæ amplitudinis patiens est magnitudo: ceû solis æmuletur Parellia, qui nũquam intra orbitam tenetur, quin diem dividat cum Astris. Ivit per Heroum amplissimorum venas, per trabearum colores altissimos, per divisæ Familiæ titulos supremos, per *Granoviorũ* Nomina primus latex, & mare fecerat Dignitatum, quô se vel gemmæ gignerent ad sceptra, vel occidui soles reficerent, per *Lelivitarum* decora, ad serenitatem diei Purpureæ oriundi. Et istud est, quo ad Tuæ domûs limen Dux invictissime, ut Generis Tui Honor: sic defluxit Nominis Majestas. Diu ante Domûs Tuæ Sacraria, in aviti Cæli Tui splendoribus, Lunas stellasq; faces, lauru palmisq;, devoti suæ Fortunæ Viri alere debebant, ut Phæbos Nepotes in Illustrissimis *Sieniavuis* deducerent ad ostrum. Diu per Regum Regias, Consi Purpurei: per Curules Senatorias, Licurgi trabeati: per Nobilitatis congressus publicos, per Orbes exteros Cyneæ facundi, *Granovii* Illustrissimi differere, ut *Sie-*

nia-

niavios dixissent: & veluti Hydaspem sanguinis, Gangeti aut Pactolo transfunderent, omnes Familiæ suæ, virtutisq; divitis gazas Posteris transcribere; ut tanta, Poloniæ pretia porrexissent. Admovete aurem, surdis quantùmvis morte obruti Manes Illustrissimi! & prima gloriæ Vestræ Nomina, Aboriginum Illustrissimorum vocabula, quæ studiosissima Honoris Vestri Fama recitat, refibulatîs nubibûs auscultate? Cùm prima adhuc Gentis Magnæ Nomina haberetis, à Bonis Vos ad Famæ lituum Honor cecinit: & ideò hâc stirpe omnes audivit Polonia, optimis meliores. In geminam Rempublicam, Pilecciorum scilicet *Sieniaviorumq;* Nomina, Gentem Illustrissimam divisit Honor: tantum deerat, ut sceptra quoq; concessisset, quòd jam amoribus Populi imperaret, leges conderet exemplo: & magnam titulorum Rempublicam, æquè à suis nutibus teneret, ac à meritis. Recenseamne? ut sceptrô calamô, sic ense Victore, Nomina longis ætatibus scribenda? Raphael Illustrissimus, Homone? an sequentium siderum anteãbulo? Vestri Cæli, *Sieniavii* Illustrissimi, est Phosphorus; Vestræ Domûs apex, Vestrarum venarum Princeps Sanguis. Omne titulorum exhausit altum, omne sublimitatis emensus est profundum: & ut intra marginem suæ dignitatis stetisset, in Gradivi arenam campumq; bellicum vel solo terrore pugnaturus defluxit. Quanta gloriæ prodigia inprimo! Ceû Cadmæa semente

Domo Celsissima Nomen à Possessioni bus diversis acquirit.

Honor & merita Domûs.

Vir chalybeus ſurrexiſſet; omnem gloriam in ferro repoſuit. Dixiſſes magnetem illi pro Anima fuiſſe, quòd ferreos quantùmvis Barbarorum animos traxerit ad ſui enſis victorias, Vir aureus ex toto! Quæ militaris campi, ut Majeſtas, ſic vaſtitas ab uno? Mille à vultu Caſtrorum Duces, mille Gradivos manû circumtulit, cum confligeret. Nec noſci poterat ab hoſte, niſi per fatum multiplex, quod ferebat, & per laureas, mille præliis pugnandas. Iſtô, ſi Ioves iterum in Giganes inſurgerent ad auguſtiores triumphos pugnarent Virô, cum Briariis. Iſto ceû fulmine, ſi iterum Orbem urerent, inflammarent Victorias; quòd ut nulla duella inceperit quæ non ultra humanum Martem concluſiſſet: ſic nulla prælia finiviſſet, quæ non pro calore Martio, æſtuq; pectoris ingenti, inchoaverit! Neq; in unum ſe ſe hominem collegit tantô compendiô virtus bellica, ut non per omnes quosquos Fama locuta eſt *Sieniavios* iviſſet. Hâc Domô, tanta Majeſtate ſe repoſuit fortitudo, ut neq; Curiæ fuerint extra Caſtra, neq; vagitus naſcentiũ Virorũ extra claſſica, neq; ætas natorũ extra laureas *NICOLAUS SIENIAVIUS* quantus vir inter prælia! Ut caput Regni conſiliis, pectus Regnorum amoribus impendit, ſic manum, Vitæ Patriæ, per aliena funera tuendæ. Ipſum ſe illi librabat ferrum: ipſæ rotabant haſtæ, ipſe calor bellicus à pectore excitabat; ut controverſum fuerit, hominemne Caſtra acciperent cum vinceret,

Nicolaus Sieniawſki inſignis Bellator

ceret,

ceret, an pro raritate Viri, Phænicem Heroum intuerent Campi, inter flammas cũ Polonis Aquilis volantem! Tempus fuerat ut collapsæ spes Patriæ voto plusquam alite ultra Borysthenem, ut ensem Viri, sic Virum invitassent. Tanta in impervias illas terras, ipsisq; vel feris vel Barbaris Gentibus habitatas celeritate, Martem duxerat, ut alatum ensem esse *Sieniaviis* Fama dixerit, nisi graviorem ferro per vulnera novisset hostis. Quid enim non ad gloriæ pondus fuerat in armis? se uno milite totam Thraciam oppressit, Vir ipsi telluri gravis: Oppressisset & orbẽ victurûs, nisi ad posteritatis secururæ laureas reponendas, alium nesciret. Est quippe etiam inter ingentium facinorum ausus, quædam gloriæ moderatio; ut cùm ad commendationem Virtutis majora possint, minora agant, & veluti intermittant grandia, ut faciant grandiora. Insculpimus perenni lapidi Grandioris Domûs victorias, & in saxo Hieronymi Illustrissimi, Posteritatis *Sieniaviæ* & animum acuimus & ferrum. Nihil Mars Lechicus fragile viderat in Viro, quem pro soliditate bellicæ virtutis *murum Russiæ*, & *Antemurale Poloniæ* merita dixerunt. Lechicæ Libertatis fortalitium, melius dixissent; quòd se, uno hoc Virô, & liberi Regni salus concluserit, & Poloniæ integritas defenderit, multo Annibale oppugnata. Quô enim se suo damnô ceû ad saxum allidebant Regni pericula? quô se ausu Patriæ prælia acuebant! dum in Vi-

Hieronymus Sieniawski acer in præliis.

 rum

rum ceû Pyrrhi Deucalionisq; feminibus natum incidiſſent? ſatis fuerat in ſago Hieronymum Illuſtriſſimum ſtetiſſe, ut barbari Exercitus ad Pullam cecidiſſent. Satis ſuccenſum in bilem oculum, & ſolo terrore armatum ſupercilium produxiſſe in aciem, ut calores Scythici refrixiſſent, & veluti fugiſſent æſtus à pectore vel ipſis aſpectibus oppreſſi. Rapit nos acies Alexandri Illuſtriſſimi & ceû per nova prælia in ſpoliũ abducit. Metire Orbis animum Heroém ex Nomine: & in uno Alexandro, adora populum majorem! Si Virum non præveniſſent funera, ſecundum Macedonem habuiſſet Polonia: ſi primum non dediſſent ſæcula? unicum hac de Gente Alexandrum timeret Orbis. Placet vel ex arena literaria præreptæ fortitudinis metiri veſtigia, & veluti per quædam tenerioris ætatis præludia experiri, ut annorum ſic ſenium præliorum. Planè totus illi Minervæ Campus in laureas doctiores effloruit, & omnes Muſæ, ut in Caſtra ivêre, ſic in aciem. Quàm facilè illi ad expugnandas mentes ingenium! Majus aliquid Homine referebat, dum inter humaniores ſcientias verſaretur, quòd ea celeritate Palladem conciperet, quam nec fabuloſus Iupiter haberet, dum pareret Minervam. Pulchrum fuerat, vidiſſe Viri verticem ſub docta lauru, ante galeam: Pulchrum! Achillis ſarmatici manum ſub calamo, ante gladium: & Martem futurũ, ſub Academi umbris, ante bellorum diem. Ut

Alexander Sieniawſki amor Regum immaturo fato decedit.

Annis

annis ſcilicet aliquid conceſſiſſet, priùs auſcultâſſe Muſarum cantus voluit, quàm claſſica; priùs mentem acuiſſe quàm ferrum: priùs difficultatum ſcidiſſe nodos, quàm vulnus: dicam quod rei eſt: tenerrimâ ætate per ingentia ituri ſenii, priùs omina feciſſe quàm ſenium. Et tanti fuerat, inter Doctorum otia ſe Magnam Pueritiã coluiſſe, ut etiam à Regibus olìm coleretur. Poſtquam Phæbum, Apollinem exhauſit, ſoles etiam Coronatos in Sigiſmundi III. Vladislai IV. amoribus intercepit, adeò, ut utroq; Tullio, Muſarum delicium, amor Regni, Alexander Illuſtriſſimus ad Gentis gloriam diceretur. Magnum hoc! & niſi Veſtrum *Sieniavii* Illuſtriſſimi, ùt amari à Regibus, ſic ab illis tantùm ad veſtræ virtutis menſuram, quibus omnis eſt apex Poloniæ, commendari. Sublimis eſtis Sanguinis color, & ideò vos niſi alti murices amant. Amor Regnorum eſtis, & ideò niſi vos Auguſta corda habent ad delicias. Sed diu Iuventæ grandiori inhæſimus & ubi nihil adhuc diximus de Viro, omnia de vita! Præcidit ætatis filum ſors acrior, quod per multa omina ſpes Patriæ trabeis intexebant: & Iuvenem ante adultam diem rapuit cæca Lacheſis: quòd jam ex magna Virtutum luce, altum vitæ meridiem vixiſſe conjecerit. Fit ſcilicet plerumq; ut fatis edentulis majorem famem uvæ acuant, quæ autumnum faciunt in Aprili: & flores, Libitinæ falcem poſtulent, quæ ad meſsẽ germinant ante Majum: id eſt, amantur

D Cæ-

Illuſtriſſimꝰ Joannes Sieniawſki Caſtellanꝰ Leopolienſis.

Cælis quoqꝫ terrarum ſolatia, & ab immortalitate celeriùs rapiuntur, quæ ultra dotes mortalium effulgent. Iam veluti poſt nubem, grande ſerenum; poſt Illuſtriſſimi Alexandri Veſperam fatalem, Phæbum multô titulorum radiô circumfuſum Joannem Illuſtriſſimum & pagina poſtulat & dies. Ceû Philippo Alexander, Æneæ Aſcanius, Magnus Majoribus ſucceſſit. Providè Fortuna egit, ut primus non veniſſet; quòd ſua amplitudine omnes Curules baſilicas, omnes Murices auguſtos, omnem deniqꝫ merendi campum adeò occupâſſet, ut non inveniſſet olìm ſellam dignitas, quâ ſuccedentis ſanguinis eſſet ſeriem poſitura. Priùs ſe illi Murex obtulit, quàm vita: quia non priùs grandem in Puero indolem Lucina illuſtrior accepit ſinû, quàm Honor. Ducum clavas obtulit pro crepundiis Principum tænias pro faſciis, Curules pro cunabulis. Et primo ſtatim ſole controverſum fuerat, nũ Honorius luſtralibus undis emergeret, an Joannes; cùm tantùm jam honoris habuerit, dum adhuc extra honores teneretur: quantùm gratiæ, cùm nullas gratias & ferre poſſet & accipere. Quæ diſcrimina inter titulos? quæ pugnæ inter Nomina? quaſi de Trojæ ſpoliis, vel de Dianæ ſacrario duella canerentur, illis Dignitatum votis, pugnatum eſt inter faſcias; quibꝰ jam & Roma caperetur & Saguntum. Tantum jam ſuffragii ad maturiſſimas Curules Puer animus habebat! tantum ad Togas Patriæ plusquàm

quàm Pumilio lacertus! Quare eodem impetu, se & Honor Purpureus in Cunas projecit, & titulus. Nomen scilicet Joannis, ad choros gratiarum cecinerunt altaria: Leopoliensem trabeam, ita fasciarũ nodo dignitas implicuit, ut Gordium putâsses. Neq; tamen mentem liberam, ita sibi Purpuræ obstrinxerunt, ut manum Martis avidam non dimiserint ad sagum: ne priùs lanâ divite ruberet, quàm se per vulnera hostiũ depinxisset ad murices. Uno scilicet passu & Cunis est egressus, & hostiles Cuneos insecutus; Vir vel ipsâ ætatis, nondum belli Capacis imagine, formidabilis! & vel tunc etiam, Othomanico Cælo gravis, cum terris etiam esse gravior nesciret. Si retroactis sæculis, Romæq; protunc volanti sub aquilas obtigisset? Manilio pugnata prælia, Scipionis ferrô decertatas Victorias, rapuisset in spolia: quòd ætatem non tam annis quàm bellis distingueret, nec tam per mẽses, bellacem vitam, quàm per enses & clades hostium numeraret. Tot jam Numina bellorũ in una Domo sæcula adorastis: & nondum totã sub Calamo habemus: tanta fertilitate sanguinis, in ausus magnanimos accrevit, ùt postquam Gradivi campũ impleverit, repleverit & ætates. Vincẽtiũ Illustrissimũ tantùm ad terrores hostiũ cecinerunt Cunabula, & vagitu plusquàm Herculeo, sæcula plorârunt ad Regni lacrymas. Gloriam omnem Posteris transcripsit, & ne ad Divorum capitolium sine laurea abiisset, cum non-

dum haberet hoſtem, Achilles faſciatus, luctatus eſt cum mortibus. Quò verò nos Lethe rapuit? ut cùm magna ad altum ſanguinis deducamus, non meminerimus Majorum? Illuſtriſſimus Adamus Hieronymus *Sieniawſki*; (plura vobis & familiaria hæc ſunt Nomina quia magna:) Curulium decus, trabearum color, bellorum terror amorq; per quot campi diſcrimina ivit ad ſenium? Neſtor dici poterat longævus, niſi frontis cultiſſimæ rugas, pulchras victoriarum notas eſſe maluerit, quàm indices Annorum. Neq; enim militis magnanimi vultum citra militaris gloriæ proventum, meſſemq; laurearum maturiſſimam tempus agricola aravit. Nullo campo ſteterat, quin tot hoſtiles manipulos per fortunata excidia numeraret, quot ſulcos. Utinam magni Lechiæ Cancellarii, ſupremiq; Ducis Exercituū, Joannis *Zamoyſcii* laureæ, ſuis Capitoliis proſpexerint! Utinam Regis Poloniarum invictiſſimi Sigiſmundi victoriæ, poſt inteſtinum Martem, vulnuſq; conſanguineum cantatæ iterum inſonuerint! Ut Illuſtriſſimi Adami *Sieniavii* lacertô, everſæ Moldavorum Copiæ, ut ſtratagemate Viri, Tartarorum exercitus profligati, ſic Martis domeſtici inconſulta incendia, conſiliô ſopita. Tantùm ſcilicet cladis in uno Viro ſenſit barbarus! tantùm fulcri collapſæ res Patriæ habuerunt! tantùm auguſtæ Curules ſubſidii! Inviſimus tranſcriptos Cælitibus Manes *Procopii* Illuſtriſſimi, & inſepultam pluſquam Trojanis

Adamus Hieronymus Sieniawſki Moldavorum & ſcytharum fulmen.

Procopius Sieniawſki Vexillifer Regni, virtute

janis cineribus gloriam, à tumulo excitamus. Leonis robore, pro lacte paſtus ille, aut Lucinã Matrem Bellonæ commutaverit; tantum Gradivum Parentem à fronte pingere videbatur: & ne quidpiam mortalitatis referre à facie, cũ vel maximè de mortibus certaret. Attollunt ſe adhuc vel ex profundo tumuli, Herois Lechici facinora: & illo exercitu paginæ illabuntur, quô Campis. Neſcit enim ſolitaria virtus ad Cineres venire, quæ pro recteſactorum ſatellitio, ante funera colebatur. Porrò unâ manu Caſtra ſuppleverat: & unus Heros ceû multiplex Gerion, quovis bellorum Campo inſtar exercitûs timebatur, aut Cæſare tantùm aut terrore Orbis Macedone pugnandus; quod ipſe ſibi Procopius Illuſtriſſimus fuerit, ad *COPIAM VIRORUM.* Quare non Æmilianorum curribûs revehimus triumphos, ne nimiùm faſtuosè laureas deducamus. Satis eſt, Chotimum ad gloriæ memoriam tetigiſſe; Arcem nimirum utfædifrago Marte, ſic juratâ in Polona pericula morte infeſſam, & veluti Harpyarum ſedem, minîs fulmineîsq́, noſtrîſq́ funeribûs àdeò circumfuſam, ut nec locus concedi poſſe putaretur, quo vel nova vincendi Virtus, vel ſpes non pereundi pertingeret. In tam arcto, ſe, Nobis repoſuit Fortuna! aſt viſa eſt effulgere in armis auguſtiùs, ubi ad Achillis Illuſtriſſimi fulgores Martios, ceû ad Promethei radium, collapſas bellorum vices ſuſpexerat animari. Vix ferrum Heros

bellicâ ad Chotimum enituit.

E vagi-

vaginâ recluſerat, recluſerat & portas, quibûs ut hoſtiles minæ, in præceps fugerent, ita volantem cum multo vulnere enſem, victoriæ ſequerentur. Primus planè inſiliît in hoſtem, & inter denſiſſimas inſolentis plumbi glandines, inter fulgurantes bellorum machinas, inter horrendas miſſilium funerum tempeſtates, tamdiu ſupererectis aggeribus pugnabat, (tantum timebant Virum pericula, ut attingere non auderent!) donec omnia quæ caſum minarentur, è ſublimi, in caſum grandiorem dejiceret. Quid multis? magna pars victoriæ *Sieniavius* enſis fuerat! totius gloriam triumphi in ſuos vocâſſet auſus, niſi glorioſiùs videretur, ut unius Viri facinora, ad multorum gloriam referri, ſic plurium ſtratagemata, ad unius *Sieniavii* Martem defluere. Neq; enim plùs omnes, quosquos aut Caſſis atterit, aut Laureæ inumbrant, quàm unus; neq; unus Heros Illuſtriſſimus, minùs in bello enituit, quàm omnes. Metire orbis Domûs Spartanæ prodigia fortitudinis, & tam retrolapſæ ætatis gloriam militarem, quàm è proximo ſecutæ Poſteritatis Martium calorem, in *Ducis Illuſtriſſimi* PROGENITORE *Magno, Illuſtriſſimo* NICOLAO SIENIAVIO adora. Hôc Virô ſe tenet immenſitas meritorum, ceû in ſole omnis radius, in Cælo omne Familiæ ſidus Illuſtriſſimorum. Primam ætatem cùm exteris diviſit, quòd multis jam Regnis viveret cùm vix ſibi. Neq; tamen à Patria diſceſſit, cùm è Pa-

Nicolaus Sieniawſki Palatinus Volhyniæ Dux Claviæ minoris.

è Patriæ terris peregrè abiret; quòd illa indoles illi prospectaret à facie, quæ ut Domûs Illustrissimæ sanguinem præcelsum, sic mores Regni & ingenuè pingeret, & referret ad exteros. Id est nunquam ita iverat per orbem, ut à Paterna gloria, animoq; prælii avidissimo deviaret: acsi è proximo intra Poloniæ limites inflari lituos, pulsari æra, divulgari classica audivisset, celeri passu, & nisi triumphorum vestigia ferente, defluxit in Patriam. Quis tunc in primo statim limine animus pugnandi? Quamvis unus triumphis sufficeret, illam tamen ad Gradivi Sarmatiæ, Casimiri Serenissimi obsequia, aciem collegit, quâ sibi vel Iulius caveret, quàmvis Orbis instar ferret, & jugulum & caput. Neq; periculis teneri potuit, plusquàm Herculeus lacertus, quin se in hostis vulnus, projiceret, ut fulmen: neq; difficultate pugnandi cohiberi, moræ impatiens pronusq; in vulnera ensis: ut non cum aquilis in funera volaret. Nihil valla, nihil aggeres, nihil tumulis porrectæ mortes, nihil Cosácorum efferatæ acies fecerunt, ut Heròém animum stitissent. Tanta scilicet agilitate passûs, in vulnera cucurrit, ut hostis Viri pedem optaverit, quò se insequentem celeriùs fugisset. Secuta est suum Martem pedissequa fortitudo, reclusit enses, vulnus admisit hostis, hosti indixit interitum. Et ne uno locô victoriæ jacuissent, manum mortibus assuetam, Podhaycios cum funeribus protendit; triumphali ferro atti-

git Jesupolim, &c. quoquô Cælo tegi poterat metus fugiens, armato periculis ense, scrutata est Heros dextera. Neq; infra invicti animi vota, cecidit belli alea. Tot sortes Patriæ explicuit, quot rebellibus infelices aleas. Tot pugnaci dexteræ trophæa, quot tumulos erexit cæso cadavere tumescentes. Pulchrum fuerat inter gestientis Poloniæ tripudia, spolia intueri! scitè evitata pericula narrari, describi discrimina, recenseri victorias, cæsas Lacheses computari! pulchriùs ceû à Gigantum prælio Iovem reducem salutari, decantari per Poloniam! pulcherrimum, hostium etiam adductorum voce, per Regna finitima *Sieniavianæ* fortitudinis elogia audiri! Ita scilicet inter magni Victoris spolia, cladem suam plorabat barbaries, ut suo vulneri arrideret, vel inde, quòd illa manu, quâ orbis cædi poterat, cecidisset: illo vulnere periisset, quô immortalitas quoq; occumberet, si lædi posset. Auditis Vestri sanguinis triumphos? DUCIS Nostri Cineres invictissimi inter plorantis Poloniæ singultus, inter lugentium Regnorum lacrymas tumulis inferendi? Iam istæ cædes in nostrum vulnus abeunt, istæ laureæ in Cupressos degenerant, hæc solatia, in luctus! Crescit dolorum campus ex magnitudine præliorum, & cinis per tot facinora divisus, grandior est, quia tot Viris auctus. Tantùm profuit inter Domûs Illustrissimæ triumphos gestire Poloniam, ut eò acriùs ploremus, quò majori copia

laureas

laureas intuemur. Tantùm, bello Nobiles Viros, hâc Gente conſcribere, ut grandiorem impleamus urnam. Tantùm per Heroum numerũ profuſam Familiam intueri, ut & favillas multiplicemus & gemitus. Tuo ſe tumulo DUX Inviĉtiſſime hæc pompa infert: Tuis cineribus hæc Victoru marena permiſcetur: Tuo æſtu, ſi quæ adhuc vel à Cupreſſis laurea proſpectat, aduritur: Tuo lapide omnis Inviĉtiſſimorum Reſpublica, pro ſorte mortalium premitur, conditur, & obruitur.

Imus ad trabeas, & lacerti magnitudinem, divitis lanæ metimur filo. Purpureæ vitæ, & ideo Veſtræ, manes Illuſtriſſimi, ſtamen iſtud eſt: quô ſe Vobis Fortuna obligavit. In oſtro Vos Lucina ſoli expoſuit, in trabeis educavit Polonia: in Purpuris merita duxerunt ad ſenium. Nec primum quidem Vobis vidiſſe ſolem licuit, qui Vos non Illuſtriſſimos aſpexiſſet, quòd primâ ſtatim die, ruberetis ut auroræ, fulgeretis ut Phæbi. Et ortus Vobis roſæ eſt, & ſeniũ; quæ & vernat per trabeas, & dum autumnat, Regina Florum eſt. Conſanguineus Vobis pudor eſt, quô nunquam Tyrum eluitis, quàmvis Gangẽ, aut Hydaſpem fundatis. Ut Mater Fortuna Vobis, ſic Honor Pater fuerat: pro dignitate ſanguinis, & cunas Vobis nisì Purpureas, & tumulos ad ſepulchri gloriam nisì trabeatos voluit deferri. Neq; deterſit oſtrum vagiente lacrymâ, dum Pueros ablactavit in faſciis, neq;

Honores geſti

infecit rubentem Togam, dum pro mæroris coloribus pullam pingeret, quâ ſe ad luctum Orbis Lechicus denigraret, adeo; ut neq; Vos primi ſoles, nisi Purpuratos Patres acceperint: neq; occidui, nisi magni Nominis Senatores dimiſerint ad urnam. Vultis, ut ad ſepulchrales umbras, delapſa Sanguinis Illuſtriſſimi claritudo, in meridiem Honorum excitetur? Vultis, ut in *DUCE* Illuſtriſſimo, ultimo Cæli Veſtri ſidere faтiſcente, defunctæ diei faces honorariæ parentent? Amamus multîs titulîs calentē Veſtrū diē, etiam inter noctes, & ad oculorum deliquia, ſerenitatem Veſtram, quam immortalem ſpopondimus, in titulorum radiis intuemur. Non plùs in ſole lucis, quàm in hac Domo ſerenitatis Purpureæ: non plùs ſanguinis in hominibus, quàm Muricis in *Sieniaviis*. Credo ego, Manes Illuſtriſſimi, ſi importunus titulorum exactor Honor, Veſtræ Domûs trabeas in unum convocaret, ſi per lacertos Nobiliſſimos, diffuſos murices manu comprimeret, de lanis roſeis, extorqueret rores rubeos: Lechiam inundaret. Credo, quòd ſi Curules Conſultorias, Ducum clavas, ſcipiones Principes, colligeret in cumulum, ſylvam dignitatum implantaret. Tantùm ſcilicet fuiſtis titulis commendati, ut Vos ſibi una Dignitas alteri invideret, unus murex, ab altero poſtularet. Tantùm dignitatum capaces: ut ſe Vobis plusquàm Oceanô tituli affunderent, nec exhaurirent; plusquàm Olympô attol-

le-

lerent, nec excederent; plusquam Euclydis lineis supputarent, ut Gentis Illustrissimæ merita æquarent. Nulla nimirum ivit ad Vos dignitas per compendia. Castra induit, quoties Domûs Illustrissimæ atria pulsavit. Et ùt gignere se Honor multiplex in Vobis, ut suffecisset, debuerat: sic Colchis pensum pretiosius, copiosius vellus Phryxô exigere, ut pro Domûs serie succedente ad purpuras, filum non rumperet. Quantùm sudavit textor titulus, dum pro amplitudine lacerti ostrum texeret! Quantùm fatigavit se in Vobis faber dignitas, dum pro Majestate meriti Curules conderet! Quantùm lassavit manum in ascia, dum lucos scinderet ad insignia: & ut Vos per titulos gloria loqueretur, *Mareschallis* Illustrissimis scipiones incideret, Ducibus tornaret clavas, Senatoribus sellas strueret, ne dicam: (hoc enim erat votum Poloniæ:) aptaret sceptra Regibus futuris! Et profectò non improbus labor fuerat, quòd tot de una Gente Viros ad fasces collegerit, quot nec fasces sese gignerent intra Poloniam. Non mens est singulos recensere, neq; trabeatos illos exercitus distinguere per vocabula, ut saltem detractîs paginæ augustîs Nominibûs, minor sit tumulus, quem flemus! Atlantem nimirum lacertum id cælum postulat, & ingens paginæ theatrum hæc copia titulorum! Quot enim SIENIAVIOS Palatinæ trabeæ gravârunt! sivè in magnis GRANOVIORUM & ideò SIE-

Nicolaus Sieniawski Palatinus Russiæ supremus Dux.

 NIA-

NIAVIANÆ Proſapiæ Ducibus Tarnoviis: ſivè in SIENIAVIIS Illuſtriſſimis: SANDOMIRIENSES, CRACOVIENSES, BEŁZENSES, & quòd ad terrorem hoſtis finitimi fuerat, geminatæ Ruſſiæ dignitates, penè hæreditario honore fulſerunt. Caſtellanæ Curules VISLICENSES, SANDOMIRIENSES, SANDECENSES, WOYNICENSES, ZARNOVIENSES, NAKLENSES, BEŁZENSES, CAMENECENSES, CRACOVIENSES, infamiliares ſellas ſe ſubmiſerunt *Sieniaviis*. Tot clavæ Ducibus exercituum invictiſſimis militârunt, quot nec plures Metelli, Camilliq; nec Scipiones tulerint per Caſtra. Plures Iudiciariæ virgæ, velut ſuæ tenuitatis convictæ, intra pedes *Sieniavios* jacebant. Vix aberat, ut in illos refloruiſſent faſces, qui ad votum Patriæ, in illum Domui Illuſtriſſimæ autumnum adoleviſſent, quẽ Reges carpunt. Quid memorem minora? altus Purpurarum color, ſublimitas dignitatum, titulorum compendium eſtis, magna Poloniæ, & *nisi trabeata Nomina* SIENIAVII Illuſtriſſimi. Impleviſtis Conſi theatra libertatis: arctâſtis Curias Regni Proceres: militarem cãpum eſtis emenſi Duces: & ut ſe in Vos omnis Honor expenderet: ut omnis Lechicæ Fortunæ ſors ſe in Vos divideret: occupâſtis Polona fortalitia CAPITANEI: Regni limites intercepiſtis SUCCAMERARII: omnia titulo-

Nicolaus Sieniawſki Caſtellanus Camenecenſis Dux Campi.

Joannes Sieniawſki Caſtellanus Leopolienſis.

tulorum bellaria gustâstis DAPIFERI: quod Regibus Honor poculum propinat, delibâstis POCILLATORES REGNI. Quanta hæc in pagina dignitatum Vestrarum compendia! ast quàm immensô trabearum filô per Vos di-ducta! Nulla se ætas vixisse meminit, quæ Vos non pro sublimi sedisse aspexisset. Nulla Le-chica Majestas pro solio imperâsse, quæ Vos pro meriti altitudine non dixisset Celsissimos: & i-deò nulla Regna famam publicam audivisse, quæ *Sieniavios* Illustrissimos ad tubam non cecinisset Honorios. VLADISLAUS I. primus Vestræ virtutis Orator est. VLADISLAUS II. SI-GISMUNDUS AUGUSTUS, STEPHA-NUS BATHOREUS, JOANNES III. AUGUSTUS Augustissimus, Reges potentis-simi, præmiatores vestri meriti, & præmia. Tan-ta ætas Vestri meminit! tantæ Majestates, tanti Reges, æquè ad fastum habuerunt, ac amave-runt ad delicias. Neq; poterant Domum Illu-strissimam, nisi pro sublimi Honoris Lechici po-suisse, quia summi Regnorum soles erant; or-bem Vestrum nisi ad Illustrissimum meridiem poterant intueri. Erant dignitatum æquora; Vobis, nisi magno ostri alveo, & in mille muri-ces exundante debebant defluxisse. Poloniæ Motrices Intelligentiæ, & ideò amatam Gentem, Lunis Stellisq; Populum affinem, illo sidere a-spexisse, quod diem Illustrissimam Vobis ac-cenderet, & nullam noctem. Et istud est Dux

Adamus Hieronymus Sieniawski Pocillator Regni.

Hieronymus Adamus Notarius Regni.

& Mecænas Illuſtriſſime, plùs Regum Regnorumq́ auguſtis cordibus, quàm Tuis cineribus tumulande, quo ſe & luctus noſtri exaſperant, & amplificant ſepulchra. Neq́ enim ſine lacrymis, tantæ lucis deliquia ſpectamus: neq́ tot ſoles in Te uno ſidere occidentes, citra gemituum æquor, deducimus ad urnam. Irritamenta ſunt iſta oculorum, non Poloniæ ad tuũ tumulum plorantis ſolatia. Augent enim tumulum non diminuunt dolores, & pro copioſi tituli majeſtate urnam onerant, non pectus allevíant Regnorum. Neq́ enim poſſunt luctus decreſcere, ubi pro tanta acceſſione lucis, ut umbræ, ſic Magnæ diei diſpendia accreſcunt. Quò celſiorem Majoremq́ diem vidimus, eò profundiores ſortimur noctes: et ipſâ nos memorata ſerenitas, ad perennes oculorum pluvias locupletat: ipſâ grandior Fortuna reddit infelices: ipſâ copia titulorum exhauſtos facit. Adeò, ut minùs doleremus, ſi minores mortes duceremus inter lacrymas: minùs injuriæ quereremur inter tumulos, ſi pro minori cumulo dignitatum recenſeremus titulos, magnîs Domûs Illuſtriſſimæ fulgoribûs, in cineres Ducis Illuſtriſſimi aduſtos.

At nondum omnes Poloni Regni injuriæ, in tumulum defluxerunt. Orbem urnam, orbe Majores Domûs involant. Porrò plerumq́ fit, ut amicæ quoq́ ſtellæ proſpectent à nubilo, ſi ſuis ſideribus affinem Phæbum viderint occiden-

dentem: & in arctum grandiora flumina colligantur, si Pactolum, aut Hydaspem consanguineum deficientem senserint. Utiq; nihil mediocre, in hac Domô Fortuna reposuit, sed quidquid magnum ingensq; intra Orbis Lechici sinũ adoratur, in *Sieniaviana* fœdera invitavit: adeo, ut Viris Illustrissimis nullum affine Astrum conspexeris, nisi sit Phæbus; nullum sidus consanguineum, nisi sit Cælum, Atlante sanguine succollandum. Quid enim ? nulla sanguini Illustrissimo vena est, quam præcelsi murices non bibissent: quam rubentes roseîs coloribûs Domûs, non divisissent per fibras : ceû Scipionum esset linea, quibus omne Genus nisi ad Affricanorum fœdera; ceú fons solis, cui undæ etiã Illustrissimæ: ceû aurum Delphicum, quod nisi ingentium Deorum vultus, ad fumosâs imagines admittit. Intumuerit olim Latium, plus superstitioni, quàm suis cultibus devotum, quòd in unam aram collectos Joves viderit. Vestra *Sieniavii* Illustrissimi Aula plusquàm Romanis Numinibûs distincta! Cælum est quoddam, tantùm Capitolinis syderibus affine: Principibus Astris, & nisi aut Phæbîs, aut lunîs divisum. Vestræ concavum Lunæ, ut Heroum statio, sic Purpuratorum Virorum Domus est hæreditaria. Vestræ consanguinitatis arbor, Xerxis est platanus: cui rami omnes nisi gemmei, adamantini fructus, & omne folium nisi Regale: quô se Senator sanguis, aut Achate scribat, aut Adamante cala-

 mo

mo depingat. Imusne per singula magnô Familiarum Pelagô in venas Illustrissimas illabentia, Domus augustæ decora? enavigamus æquor sanguinis, mille ostiis divisum? extra Ulyssis proram stamus, ut nos fluctus non obruant, quãvis sint aurei. Extra Iasonis remos, ut nos altum cruoris celsissimi non exhauriat, quamvis divite, & plus quàm felicis Arabiæ littore attollatur. Incautum plerumq; est, illum Marginem tranare velle, quem Dii tantùm enavigant. Inconsultũ, illi profundo vela committere, quô soles ludunt cum radiis, & Gratiæ cum Phœbis: id est, ùt non citra pericula, levi cymbâ per undas itur, quæ Fortunam etiam Cæsarum absorbent: ita non citra mentis naufragia, curritur per æquor, quod mille pelagîs collectus Sanguis, copiosissimè inundat.

At aude calame, & comite Famâ littus prætervola, vel sic fœderati sanguinis emensure magnitudinem, ut cum omnem sepiam exhauseris scribendo, fateare *Sieniavii* Sanguinis vix Te aliquid libâsse. Quàm augustô, & cui, nisi Lechiæ Fortuna illabitur, margine exundat! Omnẽ Neptunum trabeatum, in LUBOMIRSCIORUM SRZENIAWA CELSISSIMO habetis Manes *Sieniavii*, tantò pretiosiori alveo delapsum, quantò in gemma CONIUGE & DUCE CELSISSIMA ELISABETHA SIENIAVIA, Gangeti Tagum per fœderata connubia sociâstis. Principemne Celsissimam ad Do-

ad Domûs *Sieniavianæ* decora: ad Familiæ Majestatem: ad DUCIS Illustrissimi titulos: ad clavæ Ducalis auctoramenta, pro mundi Muliebris vocabulo in paginam deducam? an Achillem sub palla virgine, Heroém animum, magniq́ ausus pectoris occultantem, ad sexûs prodigiũ appellem? Nihil non Ducis tituli est in CONIUGE Celsissima: nihil non Spartani Viri gloriæ, in fœmina Hectoribus æquanda. Volare poterat cum aquilis, nisi graviorem merita effecissent: confligere cum hoste, nisi manum ùt curæ publicæ tenuissent, sic pro liberali genio, auream ad gratias, non ferream ad terrorem, beneficia fecissent; Victore campo laureas messuisse, nisi citra bellorum strepitum, & digladiantium irarum acrimoniã: tot Poloniæ oleas, quot hostibus cupressos, vel ipso nutu magnæ dexteræ indicâsset. Ut illi semper ad Martis imaginem vultus, sic & animus: ut manus nisi ad clavas Principes, ad Regum sceptra, sic caput ad mitras vel Coronas. Amplissima hæc, & ultra fidẽ calami sunt, si de aliis legantur: de Te DUX Maxima, nec ad Tuarum dotum, magnæq́ de Tuis Virtutibus Famæ primam lineam; quòd magnum aliquid in Te Orbis suspiciat, si honores consanguineos recenset: majus maximîs? si virtutes. Sanctius Pantheon es; ut inquilinã Tibi Universitatem Divorum, sic familiarem effecisti: adeò, ut neq́ Tibi sit sermo copiosior cum hominibus, quàm cum superis: nec major con-

Celsissimæ Cõjugis sublimis animu. & Virtutes

ſvetudo cum mortalibus, *quàm cum Deo*; ac-
ſi eodem axe movearis, quô Cæli: *mente Iovem*
ſtellas oculîs, corde amores ſidereos concludis:
& manu! gratias liberales. Maria Lechi enavi-
gent: luſtrent extremos Gades: Thules limites
translabantur: gazas invenient, non manum.
In Te DUX AUREA, ùt nihil non ad Midæ
pretium: ſic nihil, non ad dexteram liberalem.
Te Aræ, per Templa Fundatricem munificam: Te
egeni ſuas gazas: Te Domus caſuræ, ſuum ful-
crum. Te obſcura nomina ſuum ſolem, ut gra-
tias celebrent per compendia, compellant. Nec
plures Maritum Illuſtriſſimum Exercitus ſecuti
ſunt ad prælia, quàm poſt prodigam gratiarum
Tuam manum, calamitoſorum Caſtra abeant.
Tuo ære, ceû ſolis radio liberali, refulgent
In Templũ Beatiſſimæ Doloroſæ munificentia Celſiſſimæ Caſtellanæ. Thaumaturga MARIÆ DOLORUM alta-
ria, quæ pretioſiori quàm ſit nobilium Cerarũ,
luce, ſerenas. Tuîs gratiîs, inter Niobes Cæle-
ſtîs lacrymas, rident vultus, tum auro Principe
fuſi, pro laminarum diuitiis: tum tranſmarinis
coloribus, pro liberalitatis Tuæ imagine, toto
Mariano campo adorandâ, depicti. Solatia hæc
ſunt mærorum, & natantium in lacrymis dolo-
rum, ceû ſpongiæ: quæ ùt thaumaturgos luctus
ebibunt, ſic erga devotam Tuis cultibus Socie-
tatem JESU, ſunt Tui pectoris, & voti, quô
Lojolam Ducem, Dux Princepſq; Celſiſſima,
& Tuum Stanislaum Koſtkam conſanguineum,
proſequeris, ſeculis decantanda indicia. At u-
nine

nine tantùm Cælo Te liberaliùs impendis, ut aliud quocq; non locupletes pretiosiùs? Aram inspice & ædem, quam Leoburgico Francisco ceū novam coloniam dedicâsti. Tuæ munificētiæ est Regia: Tuæ liberalitatis aula: Tuarum Gratiarum perenne monumentum. Quâquâ se altitudine attollit ædes ista, Tuæ benevolentiæ metitur magnitudinem. Quoquô Cæli Seraphici concentu personat: Tuam per *Deorum elogia* sanctimoniam declamat. Et nulla vox est, quæ Te superis non loquatur: quæ Cælestibus fastis non imprimat, quibûs olìm legat immortalitas, tam sanctam Seraphico Ordini Fundatricem obtigisse, quæ tam facundè Francisci legem cōmendâsset, ut ad illius imperia nutusq; difficiles aliàs flecti lapides ad bonum, ùt claustrum amaverint, sic iverint ad regulam. Ibunt hæc saxa olìm in Tuæ Virtutis simulacra: assurgent in obeliscos: degenerabunt in adamantes: quibus Tua beneficia perennitas insculpet. Te verò DUX Celsissima, pro Tuarum Virtutum coloribus, olìm repinget gemmîs, altarium decus, monile sanctitatis.

Pietas in S. Franciscum Assisinatem.

Sed quid calamum ad extrema vota defleximus, pietati DUCIS Celsissimæ devoti? Nōdū Sanguinis Illustrissimi littus tranavimus, quàmvis æquor purpuratū bibimus in amne: sumus Tā-tali infelices! magni nos fluctus alluunt, & eò celeriùs elabuntur, quò majorem accendunt sitim. Per immensum scilicet nos sanguinis Illu-

ſtriſſimi ducunt profluvia, & illum tantùm marginem oſtentant, quem Bellatorum Poloniæ Caſtra inambulant: & quotquot ſunt Phœbi Principes, illuſtri affinitatis radiò attingunt. Porrò Olympo, vel Cælum, vel Rex montium Apeninus, frater eſt: & magnis ſideribus, niſi Phoſphorus, id eſt primus diei purpureæ honor, cõſanguineus. Gemmis niſi corallia adhærent: & Conchis Filii ſunt uniones vel nepotes. Quid enim? Celſiſſimorum Ducum WISNIOWIECCIORUM ZASŁAVIENSIUM, ZBARASCIORUM, CZARTORYISCIORUM SANGUSZKORUM Celſiſſima Nomina, intra *Sieniavianæ* Domûs decora leguntur. Æquora hæc ſunt dignitatum, & niſi ſummis Heroibus delibanda. Neſciunt in Orbem defluere, niſi vel claſſes laureîs onuſtas, vel boni publici amoribûs inſtructas onerarias, inter pacis oleas, revehant ad littus. Quid, magna religione ad Coronarum verticem attolendæ, magno titulorum cultu, profundè adorandæ Illuſtriſſimorum POTOCCIORUM CRUCES CELSISSIMÆ? *Sieniavianæ* dignitatis ſunt imagines: affinium ſiderum Ceræ Nobiles: arbores Numini conſanguineæ: in hac Domo, ceû in titulorum arâ, cò religioſiùs colendæ, quò ſanctiorî votô, in Illuſtriſſima POTOCKA Ruſſiæ Palatina, ad Leliwitarũ avita ſidera ſe *Sieniaviis* conſecrârunt. TYSZKIEVICII Illuſtriſſimi, CHODKIEVICII, SŁUSCII DA-

Domûs cõſãguineæ & affines Celſiſſimi.

DANIEŁOVICII, quàm magnum *Sieniaviani* sanguinis profundum! TARŁONES Illustrissimi, CHOMENTOVII, KONIECPOLII, SAPIEHÆ; quāta generis fastigia! Habent hic suum campum falces IABŁONOVIÆ: suum sinum OPALENIÆ naves: DZIAŁYNIANÆ sagittæ, ZAMOYSCIANÆ hastæ, metam gloriæ. Deducite Orbem inter Purpuratarum venarum sacraria: fluentē sanguinem nominate, Ducis emortui cineres immortales, qui in Vestræ Domûs decora non fluxisset? Ceu ad diem, dignitatum radiis circumfusum, ad Lunæ Vestræ lucem Principes RADZIVILIORUM aquilæ volârunt, & in Illustrissima RADZIVILIA Lechici campi Ducis magnanimi, Nicolai *Sieniavii* Conjuge faustissima, nitores purpureos libârunt. Non me transgreditur avita Illustrissimorum KOSTKARUM solea, quæ fortunato passu vastissimū Vestræ gloriæ campum cucurrit. Grande istud Domûs Vestræ vestigium est, quia idem quòd Cælitûm. Porro Domui Vestræ, priùs se nodo sanguinis, Polonus Iuvenis *Stanislaus Kostka* debuit illigare, antequam sibi honores Superûm faceret obligatos. Vestræ sereno lunæ effulsisse, ut inter Divorum radios videretur. Tam sancti scilicet Vestri sanguinis progressus, ut quivis sit prope sidera passus. Tam sublimis Vestræ Familiæ linea, ut in AURORA SARMATIÆ, Cælum Iovemq; tangat.

Sed defleximus nonnihil à recto: Cælites ad Familiæ decora invitamus? Magna adhuc pars fœderati ſanguinis intra ſidera adoratur. TE DUX & MAGNI DUCIS GENER, PALATINE Illuſtriſſime, non intermiſit pagina, ſed Cælum ſanctius, cum Lechiæ Aurorâ Tibi Phæbo Poloniæ præmiſit: ut vel ex eo illuſtrior ſit dies, quam in ultimo Cæli *Sieniaviani* ſidere, SOPHIA ex *Sieniaviis* Illuſtriſſimâ accendis, ſi inter Divorum radios ad occaſum avitæ Lunæ illuceſcat. Non tuum per vittas Præſulum, per Imperantium Majeſtates, per Purpuratorum Patrum collegia, per Auguſtiſſimorum pectorum amores partitum: magnum Curulibus, majus meritis in Patriam, maximum nobiliſſimo ſanguine attingo genus. Satis ad nominis eſt altum, gemmam DUCEM, Achati DUCI Generum fuiſſe: & veluti Phæbum Lunæ, magni per orbem meriti Parentis Filiæ, avita decora maritaſſe. Unicus hæres es ſanguinis, Patritiæ Virtutis unicus ſucceſſor, & veluti pretioſæ Domus ærarium Nobile. In Te avita Lelivitarum ſidera ſuam ſphæram: collectꝰ ex Ducibus Exercituum orbis, ſuum punctum: profuſa per immenſum familiarum gloria, ut portum ſuum habet, ſic altum. Sed quid nondum deterſos lacrymîs vultus, tantorum in unum Cælum ſiderum illapſu irritamus? Nec iſtos ſoles aſpicimus ſine pectoris tempeſtate! Quò illuſtriora ſcilicet memoramus, eò acriùs dolores

noſtros perſtringimus. Quò altiora ſuſpicimus, eò profundiùs noſtræ in DUCE emortuo, fortunæ diſpendia penetramus! Quò copioſiora decora intuemur, eò vaſtiorem dolorum campum ingredimur. Tam infelices nimirum in luctu ſumus, ùt quò majora ſolatia deducamus, eò in acerbiora irritamenta impingamus, & quò illuſtriora ad calamum vocamus, eò ploremus luctuoſiùs exſtincta.

Tempus eſt ut cineris auguſti magnitudinem, pro mole ipſius cineris metiamur, atq; Gigantem urnam, ut ex meritis fatiſcentis Enceladi, ita ex noſtris ſingultibus penſemus. Ultimum id funus ducimus, et ceû Martis tumulandi exuvias, inter Regnorum lacrymas, inter Civium plorantium parentales ſudores, inter luctus publicos inferimus ſepulchro! Habet hic Cinis ingentis Viri veſtigia, & plantam ut ad magni in Patriam meriti menſuram, ſic ad ampliſſimæ Virtutis imaginem, per ferales pulveres deductam. Quid inclementes lacrymæ oculum irritatis? ne reſperſum favillis vultum è proximo ſpectemus? quid magna luctuum tempeſtate dilutam Viri frontem funera confunditis? ne pingamus? Tantum ambitioſi in luctu ſum9, & veluti cum jam omnes expenderimus, avidi lacrymarum: ut per vitæ antelapſæ decora, Virum Illuſtriſſimum, ad animorum deliquia coloremus: appendamus inter purpuras: ad hoſtiũ terrorem, affigamus inter laureas: ad luctum Ci-

vivium circumferamus per Poloniam. Tam multis se nimirum felicitatis Lechicæ dispendiis noster depingit dolor, ut omnis amoris artem evisceret, & cum in plures Regni facies Senatorem Poloniæ ADAMUM Illustrissimum depingat, primam quoq; vitæ lineam non excludat.

Celsissimi Castellani prima vitæ initia magnæ spei.

An ení alite stylo prætervolem9 cunas? Nidū scilicet Phænicis Ducis, quô spes Patriæ provolârunt: ut celeriùs sub militares aquilas, sub quibus ætas grandior bono publico adolevit, nos rapiat funeris tempestas? amant Leones ex ungue pingi: & si Phæbei sunt occasus, labentē diem referunt ad ortum. Cunæ etiam hic molē faciunt, & prima pueritia grande senium Virtutum. Neq; enim jam nutricis Fortunæ ulnis capi poterat, dum inter Domûs Illustrissimæ basia, pendula teneretur infantia; quòd jam tunc sinum Poloniæ implevit. Neq; arctiori fasciarum circumligari nodo; quæ dum cunarum tæniâ vinciretur, velut meditabunda de Regni statu, per boni publici curas, liberiùs discurrere videbatur. Neq; distrahi crepundiis, quæ quàmvis luderet inter parva, visa est vagitu convocare militem, vibratô superciliô ferire hostem, Castra terrere nutu, deflexo capite triumphis annuere, aspectu tenerrimo computare laureas. Vel si situm mutaverit? librare clavas, sedere pro Curulibus, ostrô indui, jura cudere, Majestate vultûs leges edicere, ne dicam Lechiæ imperare. Tam augustum! jam prima dies viderat:

Quare,

Quare, erant, qui in pectus Pueri robur Herculis putaverint immigrâsse, cùm vagitu tenerrimo terreret: erant, qui mentem Domitoris Asiæ, se fibris insinuâsse crederent, qui Pompeii Martẽ in cunas arbitrarentur defluxisse, cùm pro cunarum insolentiâ, tellurem purpuream, quasi novum exercitum evocaturus, vestigio pulsâsset: non ignari intra Sieniaviorum cunas maturissimas, nasci cum vita fortitudinem, quæ ab aliis multa ætate exspectari debet ad gloriam. Ergo alii, ante hominem Virum dicere: alii Castrorum Ducem, Imperatorem Exercituum ante baltea adorare: arcium offerre Præfecturam: porrigere enses, hastas acuere, laureîs inumbrare cunabula. Ita illi indolem ad omnem ingentium formam pueritia, effinxit, ut nulli esset impar præsagio: essetq; jam ille inter fascias, qui per meditata vaticinia futurus diceretur. Itaq; difficilè fuerat Iuventæ Illustrissimæ, primum etiam pedẽ efferre cunîs, citra ingentem, illumq; passum, quô vel ad bella itur, vel curritur ad titulos augustissimos. Difficile fasciîs frontem evolvere, citra capitis augusti, & nisi ad castrorum imperia porrecti, imaginem. Quare debuit se parvã effingere Virtus celsissima, & acsi nondum Pyrrhi annulum haberet pro ætatis officio, primò veluti Musas emere. Distinxissesne Diogenem ab Antisthene? Callidium ab Augusto? Chyronem ab Achille? nullum Doctori Phæbo caput fuerat, quô illustriorem mentem non tradu-

K xisset

xiſſet in ſuam, nullus Parnaſſo vertex, quem fronte, nondum benè Puerum egreſſa, non tranſcendiſſet. O quot in prima arena Doctioris veſtigii exempla! Omnia illi cum Muſis, nihil cū teſtudine Apollinis, cum iret ad ſublimia: Omnia cum Phœbo, nihil cum umbris, dum noctes Atticas illuſtraret; quòd ea celeritate mentis, omnes obſcuritates præveniret, quâ nec ſolē ſuum, præcederet aurora. Erat nimirum ut Mercurii alas exuerent, cum calamos pari ingenio acuere non poſſent: erat, ut areſcerent Euripi, cum ad mentis profundiſſimæ altum non pertingerent. Quid ſi ad Matheſis lineas, tortuoſosq; anfractus ſiderum, oculum tulerat & mentem? Cælum exhauſit metiendo, & ceû jam ſuos titulos vidiſſet ex optico, Dux futurus, ſtellarum exercitum per Euclydis numeros ſupputabat: aſtra colligebat ad lineam, & veluti per aciem ſtellas divideret, per nomina vocabat. Pulchrū fuerat! oculum futuris Fortunæ aſpectibus paratum, Cæli priùs fulgoribus impleri, quàm perituris nitoribûs perſtringi. Pulchrum! contemplatione ſiderum, in illa ætate, in qua plus terræ placent, maximè delectari. Pulcherrimum! ferri aſpectum per ſublimia, neq; per deſpiciētiam aliis præferri! Et inde fuerat, ut Cæli quoq; didicerint, jam humiliùs proſpectare: ita nubibus affigi ſoles, ut radios demitterent ab axe: ita præeſſe terris, ut ſine elatione eminerent. At in noſtri ne tantùm Cæli vixit decora, ut in

Juventus ſcientiis conſecrata.

pe-

peregrini quoq; sideris orbisq; exteri commoda non ivisset? Ut per Regna dividi, sic accipi per plures Ioves poterat, qui se jam per tot Apollines partitus. Ivit, votis Patriæ grandem Pueritiam succollantibûs, ad Piscatoris annulum, ceû gemma Poloniæ: ad claves Petri, dives virtutũ gaza: ad urbis Orbisq; caput, ceû mens Patriæ, & Frons Senatus. Utinam in illud theatrum gestientis Italiæ ivissemus! utinam Urbium Reginæ Urbis, salutantis Hospitem è proximo tripudia vidissemus! observâssemus supremi Solii vaticinia: adnotâssemus præconia virtutis. Risisse visa est Petri lacryma, ad tanta solatia: personuisse altaria, audiri vota Populi: O si se pro Majestate frontis istius Templa pingerent! O si! pro verecundia vultûs, eminentissimi Galeri tingerent! pro virtutis pretio locupletarent sacraria! pro Iuvenis Lechici Sanctitate Roma viveret. Tantus Italiæ! idem Gallicis honoribus, quia sibi semper non absimilis, occurrit. O adventum non calculis, sed liliîs Principibûs notandum! o mores flori illibatissimo concolores! Ultra se abeunt alii, dum per extrema orbis, cum suis honoribus vagantur: putantq; peregrinam sibi posse esse Patriam virtutem, cum Domi non sint: ebibunt gentis vitia cum undis; mutant mores Patrios cum terris, & veluti ad sui Nominis dedecora ivissent, aut Scythas revehunt pro Lechis: aut effæminatos Sybaritas pro Polonis in Poloniam deducunt: quòd nõ

In orbem exterũ descensus.

 pere-

peregrinum ingenium putent, si non plura dicerint quàm vellent: non multi Cæli capacẽ Genium, si non ignem quoq; fatuum secum detulerint. At verò non ea Ducis nostri, etiam cùm in cultum exterum vultumq;, se se pingeret, imago. Extra Promethei avaritiam, aliena sidera invisit. Nullam lucem, quæ virtutem adureret, non accenderet sanctimoniam, concepit. Ceù Rex apum, qui cùm omnem hortum prætervolet, illum tantùm delibat florem, qui stare pro aris possit, & nisi mella olere. Non illi Lutetiæ maculam adspersereunt: non soles Parisii nigram labem; non peregrini cultus induxerunt novam Faciem; satis venustus, quia suæ Virtuti concolor rediit in Poloniam; satis augustus quia idem qui abiverat, defluxit à Gallis. Quanta jam illi in hospite nostra humo, Magni Senatoris vestigia! Primo statim passu, per honorum fastigia ire potuit. Ivisset sanè! nisi pedem insedisset modestia, suasissetq; pro animi Herois multitudine, priùs in sago de Patria mereri, quàm se Purpuræ merentur. Nescit nimirum in ostrum se pingere vera Virtus, nisi priùs tabo rubuerit: nec pro regnantium Majestate accendi auro, nisi æstu belli, ceù fomite dignitatum, priùs incaluerit. At verò, impetiârunt sibi, & diviserunt Virum tituli, cum Marte; ut Orbis ex uno nosceret, Civem Poloniæ, & Gradivum in purpuris, & Senatorem in sago posse agere: nec minùs terrere hostem, dum crinem

Honores gesti.

caſ-

caſſis atterit, quàm dum Honor, molle capillitiũ inaurat. Scilicet, invaſit priùs purpura lacertos, ut ſe pro poteſtate dexteræ fundendus olìm in campo cruor, ſæpius in Tyro oculis offerret: & veluti Virum admoneret Paternæ gloriæ. Quãquàm, non iſtis ſtimulis egebat, bellorum moræ virtus impatiens: cui ſe pro Gentis Illuſtriſſimæ Genio, mente rotabant haſtæ, animo enſes acuebant, & ante pugnam, ſternebant palmæ. Sed quid præliminari victoria arenam premimus? Non diu mente laurearum feraciſſimâ, nutriverat triumphos, quos gemino conflictu: (nunquàm enim Dux Illuſtriſſimus, niſi ad multorũ præliorum gloriam conflixit:) tam feliciter retulit ex campo, ut Polona arctaverit Capitolia, ſpoliîs pluſquam Statores Ioves obruerit. Aſſurgite Gotici tumuli, ſi vos exutæ etiam Ducem exuviæ, non terrent, & rugienti inter ſua vulnera Gothico Leoni adgemite! Adhuc vos Ducis Illuſtriſſimi premunt cineres: adhuc enſes! quàmvìs jam cum fatis dimicant, ad cruentum vulnus feriunt: tela funeribus tranſcripta confodiunt ad fatum. Attollite caput, ſi totũ eſt, hoſtes enſe Sieniavio edomiti! Rubent hucusq; ſanguine confuſo campi: agerq; ille cladis feraciſſimus, tumûlis inhorreſcit: & ceu conceptîs mortalibûs tellus ſit gravida, funera hoſti parturit non ariſtas; Victori Duci ad Martis Sieniavii gloriam, laureas immortales. Recenſeamne, ſulcatâ illâ vulneribus glebâ hoſtium manipu-

Celſiſſimi Ducis felices pugnæ contra Svecos

L nipu-

nipulos interceptos? numeremne, victore illô campô deductos, militaris gloriæ proventus? Nemo ad regulam cladem colligit, quæ ultra fortitudinis lineas habetur: neq; per inanes cyfras laureas depingit, quas & numerosâ cicatrix notat, & funus multiplex eloquitur facundè. Satis ad nostri Herculis gloriam est, Leones etiam domuisse: multisq; annis pugnata prælia, sub oleas deduxisse, quas per multiplicatas etiã lineas, Honor calamus, non colligeret in unum. Tantumne enim inter æstus bellicos Mars Lechiæ Adamus Illustrissimus sudaverit, ut omnes victorias pagina ebiberit? penna exhauserit? deliberabit annalium fides, num unius, an plurium Victorum ætates vixerit, dum cruorem funderet Barbarorum: contendet cum posteris gloria militaris, num unus, an mille Duces clavam tulerint, cum vinceret: quòd unus ad instar omnium pugnaverit; & omnes per fastos divisi Heròés, ad instar Sieniavii vicerint, triumphaverint. Tantùm in bellis enituit: quantùm in Purpura! æquè par sibi fuerat, dũ Heros ensem acueret in vulnus, atq; dum Senator Poloniæ, pro fidelitate erga Majestatem Serenissimam, pro amore erga Patriam, pro cultu erga superos, læsas partes Patriæ sanaret. Utiq; licet æmulam fortitudinis virtutem, intra cordis Ducis Illustrissimi palatia, adorare: & multâ imagine divisam pietatem, illâ Religione colere, cui Roma etiam pro indulgentia litaret. Nihil non ad

ideam

ideam ſanctimoniæ in Illuſtriſſimo, nihil non ad oſtentum virtutis in Senatore Primo. Ad faſtum humeri, plerumq; aliis ſunt trabeæ: quò celſior in illis color, eò humilior ſæpe conſpicitur ſanctimoniæ imago. Tegmina ſunt ſpecioſa, quæ pro luxus inſolentiâ ſtudioſiùs labem veſtiunt: & ut pretioſius ſit flagitium, divite filo adſtringunt ſibi crimina. Sæpe aliis lana Tyria, ſpongia eſt vitiorum: at in Duce Illuſtriſſimo, quædam rectefactorum cõmendatio. Nulla illum in oſtro dies viderat, quæ non pro æquè modeſto, ac clementi ſupercilio, ridenteq; ad gratias fronte adſpexerit. Omitto vultûs imaginem, quàm, dum Caſtra inviſeret, magnanimitas pingebat: quaſi terrere neſciverit, indutâ ſeveriorem Martem fronte, cum tamen orbi eſſet formidabilis: omnibus mitis, plurimis melleus, ſingulis amabilis veniebat. Inde fuerat ut orbes etiam vicini, pro Legati officio in Ducis Illuſtriſſimi aulam defluerent: amavit ſuum ſcilicet candorem Gallia in fronte: Solem in Luna Sieniavia, Imperialis aquila: ſuum terrorem in Marte Lechico adoravit Porta: & non tam ut negotia tuliſſet, ſæpius inviſit, quàm ut ad illecebras oculorum, Regni modeſtiſſimi faciem pinxiſſet, trans maria tuliſſet frontẽ, vultu Ducis Illuſtriſſimi nitoribus comptam. Quid clementia? mitior eſſe noverat, etiam dum feriret. Nulli gravis, etiam cùm pro pondere delicti, libraret flagitia, crimen premeret. Unde fuerat ut

omnis injuria, Iudicem appellaret: omnis causa justior, ad æquitatis conclavia invitaret: Templa etiam aræq; Arbitrum exorarent, quòd viderint semper pro superis egisse. At verò nunquàm sæpiùs pro superis, quàm cum superis visus est agere. Subire Templa: votis onerare altaria: spolia consecrare Divis, & ut Cælos quoq; vinceret, precibus expugnare. Vidimus, vidimus, Illustrissime Domine, cùm non exspectato die, citiùs aurorâ surgeres, & veluti prævolares diem, ut Phæbum Justitiæ excitares, & quasi cũ nocte profunda, de profundo cultu certaveris, pronam frontem, intra Palatia, terræ allideres, umbrîs mediîs loquereris cum superis: cum adhuc Æthon & Pyrhois dormirent, Tu vultûs radium aris inveheres: pro cerarum dulcedine, offerres libamina: pro solennitate indulgentiæ, dape Angelica devotam diem reficeres: & ut pro exemplo Domini aula viveret, genu humũ diutius premeres: nudo vertice, quem nec frigidior bruma texerat, supplex fieres ad aras! Adeo, ut pro pietatis magnitudine, Te, sanctiorũ Castrorum exercitus; Ducem, populi edicerent; quod ubiq; exemplo præiveris. Neq; verò tanta liberalitate pectoris, se Templis impẽdit Dux Invictissimus, ut non adjecisset & manum auream, quâ aut erexisset à plantâ, aut locupletâsset censu ædes cælicas. Stant viva liberalis dexteræ monumenta, Brzezanensis, Miedzybozensis, Satanensis, Sieniaviensis, Szkłovensis, Brze-

Pietas Celsissimi erectione Ecclesiarũ earumq; adornatione cõmendata.

Przemislavienſis, Tolſtanenſis, Dobropolienſis Eccleſiarum faſtigia : & protenſo ad ſuperos vultu aſtris loquuntur Mecænatem. Stant mediâ Metropoli, Sieniavianæ Munificentiæ veſtigia, in Apoſtolica Societatis JESU æde, & Domum Fundatricem pro ſua gratitudine circumferunt per orbem : pro voce Petri Apoſtolica, attollunt nubibus, declamant aſtris : & ſi lacrymæ Petri vim vocis habent, pro ſuperſtite ſanguine ſuperis perorant. Sed ſuperfluum fortaſſis quidpiam narrat oratio, quod quæquæ virtutis elogia recenſet, minora ſint quàm elogiorũ cauſæ. Sive enim magnum Purpuris, ſive majorem bellis, ſive maximum virtute dixerimus: aliquid tantùm Viri dicimus non totum. Copioſior nimirum meriti vixit, quam ſcribi poteſt; virtutũ opulentior, quàm dici! Deniq; heſterna ſunt ſolatia, quæ hodierni luctus ebibunt, & ut in ingentem viri Illuſtriſſimi gloriam, ſic in grandiores Viro tumulos accreſcant. Stamus ſcilicet, ad depoſitos pro ſorte mortalium cineres, & pro gloriâ oculorum, contemplamur Achillem Lechiæ fatiſcentem. O quàm ſereno vultu ſe à die ſua abducit! quàm læto amænoq; conſpectu, vias in æterna Capitolia porrectas notat! quæ baſia infigit Cælis! quanta comitate vultûs, nigreſcentiſq; jam in nubem oculi ſerenitate! Tunc forſan delapſos Cælo Hoſpites, quos munificâ pietate invitaverat, ſalutat! Ad exſpirium Ducis, ceu ad quoddam extremæ luctæ claſ-

Celſiſſimi Caſtellani ſanctior Vitæ terminus.

claſſicum, convolâſſe credo, ſanctioris Militiæ Principes, D.D. Franciſcum Seraphicum, & Ignatium: utrumq; divinis ignibus æſtuantē, quibus Illuſtriſſimum adornaſſent occaſum. Grat9 alter ſe ſtitit, quòd penum ſe fecerit Religioſæ indigentiæ ſuis: alter, quòd Cælo inſertos, Divos Xaverium & Koſtkam, aris beaverit: uterq; quòd Dux Supremus, ſuis honoribus militaverit. Diſcant Proceres, illa in extremis noctibus ſibi affulgere ſidera, quæ in vita, pro vivæ virtutis officio coluntur: neq; ſinè Cæli famulitio terrîs excedere Principes, qui pro devoto cultu, ut obſequuntur, ſic vivunt Cælitibus. Iáne omnia? Tantis hoſpitibus invitata anima, viſa eſt mentem colligere: perituris peritura relinquere: oculîs convenire Cælum: non interruptîs aſpectibûs ſuperis miſceri: (dicam quod rei eſt:) inter titulorum deliquia, inter Purpurarum gemitus, inter complexus Divorum exſpirare! Heu! quis aſtantium ſenſus, quis adium dolor: qui ſingultus ſpectantium? Credo ego ad pullatum Mercurium, ut in Srzeniavæ Illuſtriſſimi marginem mille mortes, ſic in vitæ ſociæ Conjugis Illuſtriſſimæ oculum, omnem pupillarum plorantium tempeſtatem, ſic in pectus, illam procellam ſingultuum defluxiſſe: ut in æquor creverit lacrymarum: quo velificantibus ex arte amoris doloribus, præceps anima, in vitæ ſcopulum iviſſet. Credo avitum DENHOFFIORUM Caput, omnem profundiſſimum do-

loris

loris sensum ocupasse: FILIÆ ILLUSTRISSIMÆ, GENERIquè DUCIS pectus, in tam profusos se luctus effudisse, ut ex animo naufragia fecissent. Fidem Numinum! qui inter cordium fibras, digladiantium dolorum sensus! quæ emorientis vitæ suspiria! quæ funera ante funus! Quo exsangui lacerto poterat, lucis Patritiæ magna PHÆBE, unica Paternorū amorū Hæres, ultimo defluentis ab orbe sanguinis prima portio, Phænix Filia, Celsissimæ Domus apex & Corona SOPHIA DENHOFFIA: disjectā per immensos singultus animā, ad anteoccupanda funera colligebat. Et jam jam, insessum mæroribus pectus, oculumq; animæ reliquias pluentē, dolorum naufragia rapuissent, nisi divinū quidpiam, pro rectefactorum dignitate, immortaleq; pro amore luctibûs confuso, in Duce Illustrissima Lacheses conspexissent. Quis enim legem doloribus cudisset? ut non ad vitæ injurias, non ad extremi damna spiritûs, cordis mæstissimi Regiam invasissent. Iam nil de vita, omnia fuerant de fato: adeò ut mors mortem quæreret per fibras, Lachesis Lachesim acueret ad vulnus: unum funus in alio ageretur. Tantum fæcundi dolorum estis DUCIS Magni, PROGENITORIS Maximi CINERES Illustrissimi, ut tot funera gignatis, quot viva virtutis Vestræ & Prosapiæ simulacra, in magnis Nepotibus fatiscentia: quot Regna in luctu languentia: quot corda civium periclitantia inter lacrymas, in-

M 2 tue-

tuemini. Fundit se per immensum communis dolor, ut jacturam Fortunæ Lechicæ metiatur. Transgreditur Tyberim, Padum traiicit, Gades prætervolat: Thules imperviæ margin em percurrit, & tot funera pro acerbitate famæ lugubris infert Ducali urnæ, quot immorientes Regnorum Curias, quot Regum Regias fatiscentes, quot inter taxos deficientes exercitus, quot templa & Cœnobia nigro mæstoq; vultu squalida; deniq; quot orbes pro extremi luctus coloribus pullatos, & ceû jam jam sarcophago reclinandos, ad vitæ injurias perstringit. Gravem lacrymis frontem acclinat Cineri, AUGUSTUS SERENISSIMUS Rex Poloniarum faustissimus, omnemq; diem sudissimum, in nubem colligit, tempestate hac luctuum veniente. Pro oppressi sensu pectoris pluit ad miraculum, & jam jam fatiscere videtur Regnatrix claritudo, cum per Lunæ occumbentis deliquia palam fit, magna etiam sidera mori posse! Plorant ereptâ Bellatorum pupillam Castra, & jam non de laureis, sed de cupressis, omni oculorum acie confligunt. Lugent Aræ, orthodoxæ Religionis defensorem acerrimum, & in frigidum rigescunt marmor, quò amplius desudent. Omnesne jam lacrymæ? Proxima aris Societas JESU, ut in communîs luctûs, sic in funeris Tui Dux invictissime Societatem abit. Quoquo Ducis titulo, Divinissimus Lojola dicitur, ut non extra dolorum Castra, sic non extra hanc urnam visi-

tur.

tur. Nec jam pro Martis officio trophæa colligit, ſed cupreſſos, quibus ILLATUS à DEO Ignis, ſe, non ad exſtinguendam erga Fundatricem manum alat gratitudinem. Igne, miraculo excitatis in urna ſtellis, noctes imperat, ne poſt decreſcentis Avitæ Lunæ deliquia, Societati ſuæ dies alluceat, quæ non umbram lugubrem, non nubem mæſtiſſimam in pectora inducat. Ita Dux & Mecænas Illuſtriſſime, Divos quoq́, æternaturîs ſplendoribûs ſerenatos, Tua funera perſtringunt; ut ignis etiam cladem ploret in Ignatio: & totam Societatem JESU ceu tuam ſcintillam, Tuis cineribus inſpergat. Tua hæc eſſe exambit in tumulo, quam ſæpius Tuam dixeras in vita. Minima equidem eſt, & ad brevem umbræ lineam collecta: tamen in Tuis luctibus profuſa: creſcit in largiores oculorum imbres, Avitâ Tuâ Lunâ decreſcente. Aſſurgit in grande funeris Tui ſimulacrum: Te ad cineres labente: vel ut pro mole luctuum, pro pondere dolorum, pro gratiarum Tuarum perēni gratitudine parentet, cadit in tumulum cum Magni Ducis cineribus moritura.

Ergo habetis tot ſocia funera, Magni Ducis plorati Cineres! Non communi terrâ, ſed Regum mortibus Regnorumq́, obrutum jaces funus! Non alio ſaxo tegeris, quàm Olympo; non aliâ urnâ conderis quàm Orbe: & nondum totum concluderis. Porro nihil non ingens proſpectat à favillis, quod & luctum noſtrum non

excedat, & urnam, quamvis per pulveres diviſum. Occurret ſemper grato oculo, hæc exuviarũ immenſitas, patebit ab hoc mortalitatis conditorio *SIENIAVII* Nominis magnitudo: Videbitur Majeſtas Poloni Senatoris, conſpicietur Martis Lechici fortitudo, & ad tempeſtatem oculorum, ad irritamenta cordium, mediis ſingultibûs vocaliſſima Fama per Regna feret, illum Poloniæ fuiſſe Ducem, cujus Cineres, etiam dum pro urna daretur Orbis, non ceperit.